

diagnostica febris catarrhalis epidemicae Thomas Willis diatribe  
de Febr. proponit.

## CAPUT VIII de prognosticis signis.

**M**edicum oportet, uti in cœterâ arte, sic maximè in prognosticis prudentissimè se gerat.

Hoc nervoso præcepto innuit summus dictator, dum prognosticorum suorum primum librum hâc inchoat sententiâ. *Τὸν ἰατρὸν δοῦκέε μοι ἀριστὸν εἶναι πρὸς νοσήσας ἀσθενήσας.* Medicum uti providentia, ut opinor, optimum est. Idem convenit in catarrhis. *Barbetti in praxi c. 4. §. 6.* sequens de catarrhis consignat prognosticon: Catarrhi, inquit, & dolores interdum difficulter curantur. Veritas hujus consistit in varietate causarum. Catarrhi qui à causâ externâ oriuntur, minus periculosi sunt, quàm qui ab internâ, pessimæ verò notæ sunt, qui à scorbutico fomite ortum trahunt. *Sennertus lib. 1. prax. p. 2. c. 34. de catarrhis* timet catarrhos sæpè recurrentes, eosque vocat non contemnendum malum, imprimis si asperam arteriam & laryngem vexent, quoniam variū pectoris morbi in specie phthisis exinde inducatur, adstipulante *Hippocrat. Coac. prænot. text. 359.* idque in dispositis magis metuendum ex ejusdem principis sententiâ *l. 6. epidem. egrot. 3.* Videatur *aphor. sect. 3. 12. it. sect. 2. 40.* quo in loco senibus catarrhos periculosos pronuntiat, ex eo, quoniam per hos digestio senum vitiat. Eorum glandulæ laxiores fiunt ad recipiendum laticem vitiosum, imò abundant vitioso acido.

Catarrhi ex motu laticis impedito, unde inundatur caput, quoque periculosi imò periculosissimi sunt, quoniam apoplexiam, paraly sin aliosque lethargicos inducunt affectus. Minus periculi catarrhi, qui per nares, majus qui per asperam arteriam os aut laryngem excernuntur, maximum, qui causam epidemicam & fermentum contagiosum agnoscunt, portendunt. Denique si citò evacuetur materia sine periculo, contrarium accidit, si tardè fluat.

CAPUT